

Continentur hoc volumine.

1. D. Job. Müllern Atheismus Devictus.
2. M. Jani Atheus refutatus et ad veram religionem conversus sub p̄sidio D. Nienāij
3. D. Kortholt de Religione naturali contra Naturalistas et Remonstrantes p̄ Lic. A. Franck.
4. D. I. Musaej questio; An ductu luminis nature et principiorum rationis homo ad salutem aeternam pertinere possit?
5. D. Petri Musaej Oratio contra Atheos cum iustitia Dei spugnare contendentes quod malis bona in hac vita contingant.
6. Bechmannij disp. de Deo quatenus ex lumine nature cognosci potest. R. Reimer.
7. Frölinojij disp. De Deo lumine rationis cognoscibili R. Lübbren.
8. M. Swiggenij disp. de Attributis Divinis an et quomodo ea inter se et ab essentia differant. R. Heringes.
9. M. Hundshagen de Unitate Dei R. Wendeling.
10. M. Müller de Summa Dei perfectione R. Dommex
11. M. B. Müller de quibusdam Distinctionibus Unitatis Divinae R. Schultesius.
12. M. Spruthenij de propagine anime rationalis R. Laubingom.

Sammelband

64
26

7.
DISPUTATIO PHILOSOPHICA

DE

DEO LUMINE
RATIONIS CO-
GNOSCIBILI,

QVAM

EODEM AUSPICE,

PRAESIDE

ANDREA FRÖLINGIO

OPT. ART. ET PHILOS. MAG. LO-

GICES PROFESSORE OR-

DINARIO

Publica disquisitioni subjiciet

ERICH CHRISTOPH LUBBREN

HAMELENSIS

Aut. & Resp.

IN MAIORI NOVI IVLEI AUDITORIO

Ad d. XX. Augusti.



HELMESTADII,

Typis JOHANNIS HEITMULLERI

Anno clb l c LXIV.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

DEO LUMINE

MATIONIS CO

GNOSCIBIL

2 V A M

EODEM AUSTRIE

PRÆSED

ANDREA FRÖLINGIO

OPT. ART. ET PHLOS. MAG. LO.

GIGES TROPISARE OR.

DINARIO

PRÆSED

ERICH CHRISTOPH LUBBEN


1748

IN KÖNIGL. UNIVERSITÄT WÜRZBURG

JOHANNES BEHNKE

1748





CUM DEO.

THESIS I.

PRæclara sunt verba *Aristotelis X. Eth. Nic. cap. VII. n. 35*
Χρὴ (τὸν ἄνθρωπον) ἐφ' ἑσὸν ἐνδέχεται, ἀπαθαρῆσαι καὶ
ἀπειλὰ ποιῆν πρὸς τὸ ζῆν καὶ τὸ κρᾶτισον τῶν ἐν αὐτῷ.
Quibus significare voluit Philosophus, unumquemque, qui
se mortalium conditioni it exemptum, omnia oportere age-
re, quæ naturæ ipsius & facultati, quam in se optimam a-
gnoscit, conveniunt. Tum demum verò secundum natu-
ram nostram & optimæ facultati convenienter vivemus, si,
quæ nobis obvenire potest, perfectionem appetamus. Illa
autem perfectio nostra in nullo alio, quàm in operatione
hominis, è propria ipsius potentia procedente, consistere
potest. Uniuscujusque enim rei perfectionem in operatio-
ne aliqua & quidem tali, quæ à propria ipsius potentia pro-
cedit, consistere docet Philosophus *1. Eth. cap. VII.* Homi-
nis autem potentia magis propria, quæ potest esse alia, quàm
anima rationalis? siquidem corpus & animam vegetantem
plantæ; sentientem verò animalia bruta participant, *Arist.*
loc. cit. Illius igitur potentiæ munus & functio maximè
propria erit homini. Quamvis autem & illa duplex esse vi-
deatur; virtutis actio (intellige moralis) & veritatis con-
templatio; *inprimis tamen hominis propria est veri inquisi-*
tio atque investigatio, uti rectè asserit disertissimus Romuli
nepotum *1. de Offic.* Illud enim perfectissimum est in unos
quoque, quod ipsum maximè separat à reliquis aliis. Sed
tale quid est veritatis contemplatio. *Ἀληθείας ὡ καὶ τὸ θεω-*

ρητικῶν ἢ παντάσῃ ἀγύουσα πυχάνει (τα' ἀλογαζώα) eleganter inquit Alexander & ex eo Piccart. *Isag. in lect. Arist. cap. II.*

II. Cum verò præstantia contemplationis pendeat & ex præstantia scibilis & ex certitudine, cum hæc duo materia & forma quasi cognitionis sint, *Arist. 1. de Anim. cap. 1. & Duod. 1. de habb. Intell. cap. IX.* patet, illam demum contemplationem summum hominis bonum fore, quæ in cognitione Entis nobilissimi occupata est. Unde rectè *D. Thom. 1. contra Gent. cap. IV. Summus*, inquit, *gradus humanæ cognitionis in cognoscendo Deum consistit.* Superfunt scilicet divinitatis quædam vestigia in nostro intellectu, qui ob illam causam non immeritò *ἡεὶ συλλεγέσθαι* dicitur Philosopho x. *Eth. Nic. cap. IIX. n. 54.* Potest enim intellectus in puris naturalibus relictus sepositâ revelatione devenire tandem in primi entis cognitionem.

III. Et quamvis illa de Deo è lumine rationis cognitio admodum imperfecta sit, multisque obstructa difficultatibus; magna siquidem in judiciis nostris infirmitas & semper difficilius, quod à sensibus magis est remotum, *Arist. 1. Metaph. cap. II.* aliqua tamen est, cum nonnulla sint, ad qua etiam ratio naturalis pertinere potest, sicut est *Deum esse, Deum esse unum* & alia huiusmodi, quæ etiam Philosophi demonstrativè de Deo probarunt ducti naturalis rationis lumine, uti habet *Thom. lib. cit. cap. III.*

IV. Cæterum cum omnis rerum cognitio, quæ veritatis investigationem modo quodam respicit, vel sit *ἡμνημονική* vel *ὁρθολογική* (uti refert ex *Ammon. Piccart. Isag. in lect. Arist. cap. IV*) quarum illa hominem reddit *ἀμετάπλωτον*, hæc verò *ἐπιστημική*; illa sapientem, hæc magnum opinatorem; *Piccart. loc. cit.* & vero illa hæc multo sit præstantior, equidem ad illum modum de Deo nonnulla pro
la pro

la pro ingenii tenuitate commentari atque exercitii gratia,
more Academico proponere animum induxi.

V. Quoniam verò scientia ex demonstratione paritur: demonstratio autem ex principiis progreditur: principia autem sunt vel axiomata, vel hypotheses, vel definitiones, uti docet *Arist. in Anal. Poster.* patet etiam è lumine naturæ talia nota esse debere, si quis in hoc negotio rectè & cum fractu versari voluerit.

VI. Ac primùm quidem etsi jam, ut certum notumque, supponendum esse videbatur Deum esse. Prius enim, quàm de aliquo affectio vel attributum aliquod demonstrari possit, oportet *ἄνωγειν ἅμα, τί τὸ λεγόμενον θεῖ, καὶ εἶ θεῖ*, & hoc quidem si non actu, saltem potentia: *Ἄνεγκη γὰρ τὸν εἰδέναι τὸ θεῖ ἀνθρώπων, ἢ ἀλλο ὅτις εἰδέναι καὶ ὅτι θεῖ*, inquit *Arist. II. post. Anal. cap. VII.* causæ tamen sunt, quare conveniat, ut sumique initio explicare & quoad licet, demonstrare.

VII. Quamvis enim *Tullius II. de Nat. Deor. cap. I.* scribas: *Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissima mentis, quo hæc regantur?* Et *Laëtant. VII. Divin. Instit. cap. IX.* illos, qui nullum omnino Deum esse dixerunt, non modo non philosophos, sed ne homines quidem fuisse dicere velit: fuerunt tamen teste *Cicer. I. de Nat. Deor.* qui dubitarent; alij ut *Diagoras Melius* & *Theodorus Cyrenaicus*, quos *Laëtant. lib. de ira Dei cap. IX.* *minutos & inertes philosophos* appellat, omnino negaverunt. Atque his alios addit *AElian. II. var. hist. cap. XXXI.*

IX. Quod igitur attinet communem Dei notionem, inter omnes convenire videtur, illo nomine notari Ens ali-

A 3

quod

quod summum & independens, quod reliqua omnia plurimum superat; & à quo, tanquam à primo & summo, illa pendent. Quo præsupposito tale omnino esse demonstrare tentabimus. Utemur autem eo modo, quem Logici deductionem ad absurdum vocant, quemque *Averroës sub demonstratione signi contineri dicit, quam ab effectu & quia appellamus Viott. IV. de Dem. cap. V.*

IX. Sit igitur Conclusio nostra; **Aliquod Ens non est dependens, sive, est independens.** Hanc si quis negaverit, ut necesse est illum facere, qui Deum esse negat, age affirmet contradictoriam; **Omne Ens est dependens.** Cum enim inter hæc duas propositiones legitima sit contradictio, quia idem in utraque subjectum, idem prædicatum, & illa particularis negans, hæc universalis affirmans; altera earum necessario vera erit, altera falsa. Omne autem Ens esse dependens verum esse nequit. Necesse enim est, ut aliàs aut progrediaris in infinitum aut circulum committas. Sed utrumque absurdum; Ergo multò magis id, è quo tale absurdum sequitur.

X. Circulum autem admodum ridiculum & absurdum esse constat. Illud enim fuerit hic committere circulum, si quis dicat ita rem unam producere aliam, Petrum e. g. Paulum, ut ipsa vicissim ab hac producat, sive id fiat immediatè, ut si Paulus Petrum; sive mediatè, ut si Petrus Paulum, Paulus Jacobum, Jacobus autem Petrum produceret. Tale autem quid in rerum productione contingere oppidò absurdum est. Neque enim quicquam, sive illud fiat mediatè, sive immediatè, seipsum producere potest. **Effectus enim, sive sit mediatus, sive immediatus, non potest non esse effectus præsertim in essendo, & nullus effectus su-**
am

am causam producet. Quicquid enim est effectum, illud ab alio est effectum & nihil à seipso est positivè.

XI. Absurdus etiam est progressus in infinitum, Nam si ita res una dependeret ab alia, ut hæc iterum ab alia & sic in infinitum, quæ quæso erit rerum productio, qui effectus? Possumus enim in consideratione dependentium & illorum, à quibus dependent, dupliciter progredi, ascendendo & descendendo. Et quidem descendendo nos in infinitum progredi non posse manifestum est: fieret enim aliàs, ut nunquam ad causam effectui proximam & ita neque ad effectum pervenire possemus. Neque minus verum est nec ascendendo progressum in infinitum esse posse, sive illud sit in causis per accidens subordinatis, quarum quidem una dependet ab alia, ita tamen, ut non necesse sit omnes simul ad actionem concurrere; sive id sit in causis per se subordinatis, quæ scilicet simul & unaquæque in suo ordine immediatè influunt in effectum. Et de his quidem ex definitione causarum per se subordinatarum res est manifesta. De illis vero ita patet. Non enim potest dici inferior causa agere, nisi egerit superior, & si hæc agnoscit superiorem, itidem agere non potest, nisi prior illa egerit. Unde necesse est dari aliquam causam primam, ut secunda, tertia &c. suo munere fungi possint. Et sanè si omnia dicantur dependere ab alio in infinitum, tum tota illorum collectio vel dependet ab alio, quod extra numerum dependentium est, vel non dependet. Si illud sit, propositum ipsum obtinetur; si hoc, eo ipso hypothesis evertitur. Sed & aliud absurdum deducimus cum nostro Philosopho; Causæ enim omnes illæ sunt mediæ: Sed medium non potest esse, nisi inter duo extrema, primum scilicet & ultimum. Vid. *Aristot. 11. Metaph.*

cap.

cap. vii. Suar. Diss. Metaph. xxix. Sect. i. n. 25. & seqq. Quod
si igitur falsa est propositio, **Omne Ens est depen-**
dens; vera erit eius contradictoria; **Quoddam Ens**
est independens & hoc nos Deum appellamus.

XII. Nunc progrediendum ad attributa Dei, per quæ
hoc in loco intelligimus prædicata Dei essentialia. Dico
essentialia, ut ostendatur Relationes, quæ etiam de Deo ad
intra prædicantur, huc non pertinere. Prædicantur enim
& illæ de Deo sed personaliter, non essentialiter. Sunt au-
tem essentialia Dei prædicata secundum doctrinam Aristo-
telis triplicia; Positiva absoluta, ut Deum esse substantiam,
intelligentem, perfectissimum, iustum, misericordem &c.
Positiva relativa, ut Deum esse causam rerum omnium,
esse creatorem &c. Negativa, ut Deum non posse pati, nec
mori, non esse compositum &c. Demonstrant autem Scho-
lastici triplicia hæc Dei attributa triplici modo, vel, ut illi
loquuntur, *Viâ*; Causalitatis, Eminentia & Negationis.
Causalitatis innitur illi principio; *Vbi ponitur effectus ibi*
ponitur causa. Eminentia huic; *In causa univoca perfectio-*
nes effectus formaliter insunt, in equivoca eminenter; sive,
ut alias loquuntur; *Causa non est deterior effectui*. Negati-
onis huic; *Qui est perfectissimus in illo nulla imperfectio*. Il-
lâ viâ demonstrantur attributa relativa, istâ absoluta, hæc
negativa. Sed pauca adhuc de attributis in genere, speci-
alia enim generalium scientiam prærequirunt.

XIII. Quandoquidem omnis nostra cognitio à sensi-
bus dependet, ita quidem, ut nihil in intellectu sit, quod
non antea fuerit in sensu; hinc etiam fieri videmus, ut illa,
quæ à sensibus remota sunt, imperfectè, & quo magis sunt
remota, eo imperfectius à nobis cognoscantur. Cum igi-
tur illa, quæ à sensibus sunt remotissima, imperfectissimè à
nobis

nobis cognoscantur; & verò Deus sit tale quid, quod est à
sensibus remotissimum, quemadmodum infra illud demon-
strabitur, hic autem tanquam hypothesis præsupponitur;
constat etiam illum imperfectissimè à nobis cognosci. Un-
de etiam ratio patet, quare attributa in Deo concipiamus,
cum tamen nihil sit in Deo, quod non sit ipse Deus & de
Deo in quid prædicetur, quod itidem infra demonstrabo.
Distinguiamus enim hæc Dei attributa & à se invicem & à
Deo, non ut diversa asserendo, sive, ac si revera talis aliqua
sit distinctio in Deo, hoc enim esset imperfectio, sed tantum
in modo nostro concipiendi. Et licet unum saltem videamur
cognoscere attributum, cum clarè unum cognosci-
mus e. g. æternitatem, nihilo tamen minus cognoscendo
Dei æternitatem, reliqua omnia Dei attributa cognosci-
mus, ita tamen, ut solam Dei æternitatem sub ratione ac
denominatione æternitatis cognoscamus. Illorum enim,
quæ sunt à parte rei identificata, unum sine altero cognosci
non potest. Quoniam autem Intellectus noster finitus &
valde imperfectus est, infiniti, cum quo ipsi nulla ferè est
proportio, essentiam adæquatè & totaliter concipere non
potest, sed habito respectu ad diversos effectus diversas ra-
tiones sive formalitates in Deo concipit, & à se invicem illa
distinguit, quæ à parte rei sunt unum & idem. Unde & il-
lud colligimus, illam distinctionem, qua attributa ista cum
à se, tum ab essentia divina distinguuntur, non realem fo-
re; siquidem citra mentis operationem nec à se nec ab es-
sentia distinguuntur: argueret enim id compositionem re-
alem, quam de Deo affirmare est absurdum, ut infra de-
monstrabo; neque formalem ex natura rei: hæc enim & i-
psa realis, licet mediam inter realem & rationis distinctio-
nem eam esse sed minus rectè Scotista asserant; sed rationis
& quidem non ratiocinantis: hæc enim uti sine ulla ratio-
ne est

B

ne est



ne est introducta, ita etiam nullum usum habet, cum per illam nec unum ab altero præsciindatur, nec tanquam diversum concipiatur; sed ratiocinata, quam per conceptus formales ejusdem rei inadæquatos fieri putat *Suar. Disp. Met. VII. sect. 1. n. 5 & 6.*

XIV. Licet autem attributa divina à se invicem ratione distinguantur, possunt tamen de se invicem prædicari, in sensu scilicet identico. Dupliciter enim attributa Dei considerari possunt 1. in sensu formali, sive ratione conceptus, quem de ijs formamus, & sic de se invicem prædicari in abstracto non possunt, cum sub alia ratione justitia Dei, sub alia omniscientia ejus concipiatur. *Natura enim divina considerata ut principium intelligendi fundat conceptum Intellectus, & considerata ut principium volendi, fundat conceptum voluntatis, inquit Iavell. in lib. XII. Metaph. quest. 19.* 2. in sensu identico, sive, prout in se spectantur, & tum omnino non solum concreta, sed etiam abstracta cum de Deo tum de se invicem prædicari possunt.

XV. Afferunt §. 12. attributorum alia esse positiva, alia negativa. Utimus scilicet interdum etiam negativis conceptibus, non ac si attributa illa ratione negationis sint Dei attributa; Nam negatio est Non - Ens, quod autem est Non - Ens, illud Entis attributum essentiale esse non potest; verum ratione illius positivi, quod connotant, sunt Dei attributa. *Quia enim non possumus ea quæ sunt Dei propria, prout in se sunt, concipere, imò nec per positivos conceptus simplices ac proprios Dei, ideo negativis utimur, ut illud excellentissimum Ens, quod maxime à ceteris distat, minusque cum illis convenit quam ipsa inter sese, ab eis separemus & distinguamus uti eleganter inquit Suar. Disp. Met. XXIIX. sect. 1. n. 2.* Duplex enim est negatio; alia simplex sive formalis, quando prædicatum simpliciter negatur inesse subjecto; alia

lia virtualis, quæ præter negationem aliquid positivè infert. Et hujus, non illius, generis sunt negativa illa Dei prædicata.

XVI. Jam specialius progredior ad ipsa attributa de Deo demonstranda, idque methodo Aristotelicâ, quâ ex data definitione deducimus & demonstramus attributa. Ubi statim se offert quæstio; An igitur Deus accuratè à nobis definiri possit? Respondemus illud fieri non posse. Quoniam enim naturam & essentiam Dei accuratè cognoscere non possumus, neque λόγον essentiam Dei exprimentem accuratè habebimus. Unde debet sufficere aliqualis definitio & primus Dei conceptus, qui nobis erit, quod Deus est Ens independens.

XVII. Et sanè Deum Ens & quidem participiale esse ex definitione Entis participialis patet. Cum enim Ens secundum quosdam Philosophos sit vel nominale, cui non repugnat existere, vel participiale, cui ita non repugnat existere, ut etiam actu sit, vel potentiâ quod licet ei non repugnet existere, actu tamen nondum est: Deus tantum est Ens participiale, quia revera & actu existit. Ens autem potentiâ esse nequit, quoniam hoc actu non est, quamvis esse possit. Deus autem actu est. Neque etiam nominale esse potest, quod hoc præscindat ab existentia, ita quidem, ut eam neque ponat neque tollat. Sed Deus, ut infra demonstrabo, ita concipi non potest: Nam quandocunque concipitur, ut non repugnans existere, concipitur etiam ut actu existens, adeoque posse existere & existere in Deo non distinguuntur. Ubi observandum, verum non esse, quod putat Paulus Voet prim. philos. Ref. cap. IV. sect. 1. n. 5. de Deo minus rectè dici, cum existere posse, idque propterea quod posse existere non tantum sit non repugnare ut existat, verum etiam transferri de potentia ad actum. Sed res

spondetur, in rebus creatis, potest posse existere hæc duo quidem significare posse, ex se tamen & vi suâ illa non denotare, cum ratio formalis potest posse existere præter nudam non-repugnantiam nihil dicat. In Deo igitur potest posse existere planè idem est cum existere. Et quidem de Deo rectè dici posse existere ita probo; Qui actu est etiam esse potest. Ab actu enim ad potentiam valet consequentia. Et si Deus non potest esse neque actu est, cum à remotione potentia ad remotionem actus valeat consequentia.

XIIIX. Hic autem notandum, quando Entis rationem formalem Deo competere atque adeo Ens propriè de Deo prædicari dicitur, distinguendum esse inter rem significatam & significandi modum. Id enim quod per nomen Entis significatur, Deo competit, licet non illo modo significandi, quo de creaturis usurpatur. Creatura enim ita dicitur Ens participiale non tantùm, quòd sit extra nihil, sed etiam quòd sit extra causas. Deus autem solùm dicitur extra nihil esse, quando existentia scilicet Ens participiale de ipso dicitur. Atque hæc distinctio inter rem significatam & modum significandi etiam de reliquis attributis observanda. Sic igitur Deum appellare possumus Ens independens.

XIX. Atque hinc statim colligimus, Deum etiam Ens primum esse. Quoniam enim Deus est Ens independens, ab alio suum esse non habebit, sed à seipso *non per positivam originem & emanationem sed quatenus sine emanatione* (per veram scilicet causalitatem) ab alio habet esse ut loquitur *Suar. Disp. Met. XXIIX. sect. 1. n. 7.* Illud enim independens appellamus. Necessè igitur est illum esse primum. Si enim non est primus, erit aliquid illo prius; & si hoc non est primum, aliud rursùm illo erit prius, & sic aut
in

in infinitum progrediendum est, quod absurdum, aut in aliquo subsistendum, quod necessario erit illud independens.

XX. Quoniam igitur Deus est ante omnia; hoc enim primum appellamus, neque etiam à quoquam dependet, erit sine ullo alio, neque ad sui existentiam quoquam indigebit, cum aliàs sine ullo alio esse non possit, sed ex sese erit quod est, propriaque virtute subsistet, adeoque erit **Substantia**. Hic tamen notamus Substantiæ vocabulum sumi vel quatenus substantia à subsistendo dicitur, quod per se subsistat, vel à substando, quod substet accidentibus. Quamvis igitur Deus non sit substantia, si posteriori sensu vocabulum substantiæ accipias; est tamen substantia priori acceptione. Quicquid enim propria virtute & per se subsistit illud est substantia; Atqui Deus &c. Ergo. Potest etiam à substando dici sed quatenus substare accipitur negative pro eo, quod non eget alio, in quo fulciatur.

XXI. Est autem Aristoteli substantia alia prima alia secunda. Illa quæ nec de subjecto dicitur, neq; in subjecto est; hæc quæ de subjecto dicitur, in subjecto tamē non est. *Arist. lib. Categ.* Verbo; Illa est substantia singularis, hæc universalis. Quoniam autē Deus per essentiam suam est singularis & ipsi maxime repugnat universale, cum non possit prædicari de pluribus univocè & cum sui multiplicatione, quandoquidem unicus est, ut infra demonstrabo; Deus maximè substantia singularis erit, adeoque prima. Alii cum Arist. per substantiam primam non tam substantiam singularem, quam talem, quâ nulla prior est, hoc in loco intelligunt. Quia igitur Deus est primus §. 19. & substantia §. 20. prima quoque substantia dici potest.

XXII. Ex illo quod §. 18 & 19. asseruimus, Deum Ens independens & primum esse, sequitur etiam illum infinitū

fore. Cujus enim esse plane est independens, illius quoque esse non est ab alio: Cujus autem esse non est ab alio, illud quoque ab alio limitari & finiri nequit; quod autem plane limitari vel finiri nequit, illud simpliciter infinitum est. Neque obstat, quod infinitum dicatur de quantitate, quemadmodum de magnitudine & multitudine dicit *Arist. III. Phys. cap. vi.* quod illa in infinitum dividi & augeri, hæc augeri possit. Hoc enim in loco non accipitur infinitum prout tribuitur quantitati, sed in quantum designat essentiam omnimodo illimitatam, & cum finito realem Entis affectionem constituit. Non enim Ens est, quod non sit finitum vel infinitum.

XXIII. Hinc autem quod Deus est infinitus, multa porro Theoremata sequuntur. Si enim illud dicitur simpliciter infinitum, quod secundum nullam rem limitari potest, Deus æternus, illocalis & immensus erit. Quicquid enim secundum nullam rem finiri potest, illud neque secundum durationem, neque superficie continentis, neque secundum locum terminari potest. Singula uberius considerabo.

XXIV. Vi igitur superioris conclusionis Deus i. est æternus. Æternitas enim nihil aliud est, quam *duratio interminabilis indivisibilis & independens*. Interminabilis est, quia caret fine & principio: indivisibilis, quia caret partibus sibi succedentibus, & tota simul est; independens denique, quia à se est non ab alio. Hoc ut clarius fiat, non possum non huc transcribere verba *Cl. Scheurl.* quæ habentur *Theol. Nat. dissert. II. opb. 53.* Ubi *De Deo quidem* inquit *non raro etiam in ipsis sacris literis in præterito & futuro tempore aliquid enunciari, sed fieri tamen id per denominationem extrinsecam à nostro, in quo vivimus, quodque percipimus, tempore desumptam.* Ut enim, qui ad ripam fluminis constitutus est, partes tantum aquæ successivè defluentes aspicit, aquam

totam

totam videre nemo potest, nisi tam altè eleuetur, ut fontem
simul fluvij fluviumque ipsum cum ostio, per quod mari sese in-
fundit, cernat; ita homines in tempore constituti præteritum
& futurum solummodo cognoscunt, quæ partes sunt duratio-
nis; Deus, qui supra tempus est, æternam ac indivisibilem du-
rationem sine omnibus temporum differentiis sibi invicem suc-
cedentibus intuetur: et si hæ temporis differentia, ut à nobis
appellantur, singula, dum actus sunt, æternitati coëxistant.
Queniammodum autem ex eo, quod Deus omnibus, quot
quot in hoc mundo sunt, ubicunque etiam sint, præsens sit,
non licet inferre ea sibi invicem præsentia esse; ita nec ex
eo, quod præsens, præteritum & futurum æternitati coëx-
sistere dicuntur, sequitur illa esse eadem vel simul existere.
Æternitas enim illis coëxistit hoc fere modo; Pars tempo-
ris præterita cum esset præsens æternitati coëxistebat & quæ
nunc est præsens, ei coëxistit & quæ futura est, cum præ-
sens erit, ei coëxistet. Et quidem æternitas partibus tem-
poris divisibilibus indivisibiliter coëxistit. Æternitas enim
est duratio indivisibilis: Ergo divisibiliter coëxistere non
potest. Egregio illud simili illustrat *Cl. Voet Theob. Nat.*
Ref. c. x. §. iv. n. 3. Uti enim centrum in circulo est aliquid
indivisibile & immobile & nihilominus partes in circum-
ferentia divisibiles post invicem succedentes mobiles respi-
cit & illis æqualiter præsens est, cum ab illis æqualiter distet;
ita etiam æternitas divina est indivisibilis & invariabilis, &
nihilominus respicit res creatas divisibiles secundum tem-
porum differentias sibi invicem succedentes & variables &
æqualiter illis præsens est. In Deo igitur utpote æterno
quantum ad ipsum spectat nihil est præteritum neque futurum
neque in esse eius neque in scientia, neque in amore nec deni-
que in aliqua alia perfectione. Dico quantum ad ipsum spe-
ctat &c. quia quantum pertinet ad nos, id est, ad modum
quo

quo nos rem æternam concipere & de illa loqui possumus, etiam Deo attribui solent huiusmodi locutiones præteriti & futuri, uti inquit *Suar. Diss. Met. L. sect. III. n. 11 & 12.*

XXV. Vi quoque Dei infinitatis Deus est illocalis & immensus. Quamvis autem hæc duo maximè inter se convenire videantur, idem tamen non sunt. cum alius sit conceptus formalis illocabilitatis, alius immensitatis, si quidem illa connotat locum physicum & realem; hæc etiam omne spatium imaginarium & conceptibile. Illocabilitas rectè demonstratur cum ex infinitate tum immensitate. Quod enim est immensum illud est extra locum; Quod autem ita omnia complet, ut etiam sit extra omnem locum, illud certo alicui loco inclusum non est, adeoque illocabile. Deus igitur ubique est & in omnibus spatiis realibus, imò non tantum in omnibus spatiis realibus sed etiam in imaginariis, ita, ut nullam spatium concipi possit, ubi non sit intrinsecè actu sibi præsens secundum rationem immensitatis suæ, etiam quando nulla res creata ibi actu constituta est. Ubiquecunque igitur aliqua res creata extra mundum constitueretur, ibi ei rei oporteret Deum esse præsentem. S. August. hoc alicubi ita declarat; *Mundus, inquit, in Deo est velut sponsia parva in oceano immenso: sponsia penetratur aqua, continetur unda, superexceditur abyssio immensa: sic mundus penetratur, pervaditur, continetur, undequaque exceditur immenso Deo.*

XXVI. Ex eo autem quod Deus est æternus, patet etiam illum Ens necessarium esse. Ens enim necessarium dicitur, quod non potest non esse. Quod autem æternum est, illud nunquam non esse poterit. Quoniam igitur Deus æternus est, erit etiam Ens necessarium. Et sane si non est Ens necessarium, erit contingens. Si hoc, aliquando non fuit. Quod autem aliquando non fuit, illud nihil fuit. Ens enim

enim potentia secundum Arist. quoniam non existit, Non-
Ens est. Si autem nihil fuit neque iam aliquid erit. Neque
enim sui ipsius potest esse causa efficiens, cum nihil sit cau-
sa sui ipsius; neque ab alio produci potuit; fuit enim primus.
Est ergo Ens necessarium. Ubi tamen dissimulare non
possum, communem in scholis loquendi modum me secu-
tum esse. Neque enim ignoro, quomodo circa eum & recte
quidem Cl. Stahlus disc. in Tab. Metaph. 12. philosophetur,
Solent, inquit, Autores necessitatē constituere non tantum
in rerum connexionē & enunciatione ac enunciabilibus, hoc
est, obiectis enunciationum; verum quoque necessitatē tri-
buunt incomplexis. Quo pacto dicunt, Deum esse necessarium.
Verum posset hic non immerito dubitari, an necessitas recte
tribuat incomplexis. Nescio sane, an recte loquamur; Deus
est necessarius, absolute & sine appposito. Dicis quidem, an non
Deus est necessarius, quia non potest non esse? Sed Resp. hinc
sequitur tantum hoc, quod Deum esse sit necessarium. Iam
autem Deum esse est complexum. Existētia enim cum Deo
connectitur.

X XVII. Sed dicat aliquis; Deus est ens liberum; E.
non est ens necessarium. Resp. quamvis Deus sit liber, hoc
tamen potius intelligendum est ratione operationis ad ex-
tra, quam essentiae. Potest enim Deus operari & operandi
actum pro voluntate suspendere, ut infra demonstrabitur.
Non enim sumitur necessarium & contingens, ut dicunt ha-
bitudinem effectus ad causam naturaliter aut liberè agentem,
vel quae potest aut non potest impediri. — Sed sumitur necessa-
rium absolute in ratione existendi, quomodo Ens necessarium
dicitur illud, quod ita habet esse, ut non possit illocarere, cui
opponitur illud Ens, quod ita est, ut possit non esse, vel ita
non est, ut possit esse: uti recte inquit Suar. Diss. Met. XXIX.
sect. 1. n. 8.

C

XXIIX.



XXIIX. Ex eo porro quod Deus est primus & infinitus, sequitur eum esse Unum. Quod quidem *Arist. lib. xii. Met. cap. ult.* à posteriori ita fere probabiliter ostendit: Universi bonum consistit in debito mundi ordine, πάντες γὰρ συντέτακται πῶς, ἀλλ' ἕχ' ὁμοίως, καὶ πλωτὰ καὶ πῆνὰ καὶ φυτὰ. Talis autem ordo esse non potest, nec universa illum obtinere possunt, nisi unus aliquis sit princeps, qui illa dirigat. Ταῖ γὰρ ὄντα, inquit, ἔββαλεται πολιτεύεσθαι καὶ κἄς, ὅτι ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἰς κοίραν. Dico probabiliter hæc ostendi ab Aristot. Rectissime enim *Suar. Diss. Met. xxx. sect. x. n. 4.* Hæc ratio, inquit, est quidem bona coniectura, non potest tamen esse convincens demonstratio: & n. 5. Ex solis effectibus Dei non videtur posse immediatè demonstrative concludi esse tantum unum Deum, sed solum quasi negativè ex illis non ostendi, nisi unum Deum, quia unus ad omnia sufficit: non tamen hoc satis est ad positivè demonstrandam unitatem Dei, sed oportet ostendererepugnare divinam naturam multiplicari.

XXIX. Hæc igitur probatione relicta, nos unitatem ex eo, quod Deus est primus & infinitus, demonstrare conabimur. Quod si enim plures sunt Dij, plura erunt prima & plura infinita. Et sic idem erit primum sive ante omnia & non primum sive non ante omnia: idem etiam infinitum erit, & non infinitum, quod tamen impossibile est. Possit etiam illud ostendi ex summa perfectione Dei. Nam si uno plures sint Dij, different illi in aliquo. Illud igitur, in quo differunt, aut perfectionem eorum spectabit, aut imperfectionem. Si hoc, non erunt perfectissimi: implicat enim aliquid esse perfectissimum & perfectione aliqua carere sive imperfectione aliqua laborare. Si illud, neque tum erunt perfectissimi ambo. Nam si unus eorum aliquam obtinet perfectionem, quâ alter caret, sequitur utrumque non fore per-

re perfectissimum. Id enim quod perfectione caret, quomodo erit perfectissimum? Sed quoniam nondum Dei perfectionem demonstravi, nolo plura de hac demonstratione proferre.

XXX. Quamvis autem unitas & simplicitas coincidere videantur, ratione tamen distinguuntur: *Unitas enim multitudini, simplicitas compositioni opponitur: Suar. Disp. Met. xxx. sect. III. n. 3.* Demonstratio autem omnimodam simplicitatem hoc pacto. Si Deus non est simplicissimus, erit compositus; si hoc, saltē è duobus erit compositus, cum nihil componatur nisi è pluribus ipsum componentibus. Duo igitur illa, quæ Deum componerent, essent vel finita, & hoc pacto Deus finitus foret contra §. 22. cum ex duobus finitis infinitum constitui nequeat: vel duo infinita contra §. 22. & 29. vel alterum finitum, alterum infinitum, sed hoc fieri nequit cum propter disproportionem inter finitum & infinitum, tum quod Deus ea ratione & quoad alterum certè finitus esset contra §. 22. Et præterea omne quod est compositum ab alio esse compositum videtur: non enim casu illa sunt conjuncta: Deus autem est independens & primum: Ergo nihil fuit illo prius, quod ipsum componeret.

XXXI. Solent autem quatuor constitui compositionis genera, quorum primum est compositio ex materia & forma, eaque vel substantiali, vel accidentali. Cum igitur nulla in Deum cadat compositio, neque ex materia & forma Deus erit compositus, & si hoc, **Immaterialis est.** Nam quod *Alex. Aensf. & Bonavent.* etiam incorporeis materiam, sed spiritualē, tribuisse dicuntur, illud profecto repugnat. Nam eo pacto etiam anima ex materia & forma composita foret, & iterum hæc forma etiam ex materia & forma, & sic in infinitum.

XXXII. Sequitur etiam inde, Deum non esse **Quantum**

tum. Nam præterquam quod omnimoda simplicitas compositionem è subiecto & accidente, adeoq; etiam quantitate, exciudit; etiam Deus non potest esse quantus, quia est immaterialis §. 31. Nulla enim quantitas est nisi in materia. Negata autem materia etiam negatur quantitas, ut habet axioma: *Destructo subiecto proprio negantur etiam adiuuncta.*

XXXIII. Et quoniam Deus non est quantus, neque est Divisibilis. Quicquid enim non est quantum, illud non est extensum: quicquid non est extensum, illud non habet partes extra partes: quicquid non habet partes extra partes, illud in partes dividi non potest: quicquid autem dividi non potest, illud est indivisibile. Indivisibile enim est, quod dividi non potest. Ubicunque igitur Deus est, ibi secundum substantiam suam totam est.

XXXIV. Quoniam item Deus non est quantus & immaterialis, sequitur illum quoque esse Incorporeum. Omne enim corpus est quantum & dependentiam à materia includit. Cum autem neutrum in Deo reperiatur, sequitur Deum incorporeum esse.

XXXV. Quia vero Deus est substantia §. 20. neque tamen corpus §. 34. rectè inde concludimus, illum esse Spiritum. Omnis enim substantia est vel spiritus vel corpus, ut alibi demonstratur. Neque enim sunt asserendi Dæmones Platonici mediæ naturæ inter corpoream & incorpoream, cum corporeum & incorporeum sive non-corporeum sibi contradictoriè opponantur.

XXXVI. Si autem Deus est spiritus, acie oculorum nostrorum percipi non potest. Nulla enim potentia excedit suum objectum adæquatum, sed color & lumen sunt objectum adæquatum visus: Ergo illa tantum, quibus hæc
com

competunt, videri poterunt. Quoniam igitur hæc solis corporibus conveniunt: Deus autem non est corpus §. 34. sed spiritus §. 35. etiam à nobis videri non potest, sed invisibilis est, saltem naturaliter. An enim illud de absoluta potentia fieri possit, hic non disputabo.

XXXVII. Potest autem hoc ipsum Dei attributum etiam intelligi alio sensu, in ordine scilicet ad intellectum, non quidem divinum, Deus enim se perfectissimè cognoscit, ut infra demonstrabo, sed humanum. Per translationem enim etiam illa videri dicuntur, quæ intellectu percipiuntur. Non autem Deus est invisibilis cognitione abstractiva, quia inspectis rebus creatis quasi abstrahit intellectus noster ab ijs conceptus Deo convenientes, quorum ope incognitionem Dei pervenimus; nec cognitione quidditatis, cognoscimus enim de Deo aliquot prædicata essentialia, ad eoque cognoscimus illum partialiter & cognitione quidditatis. Licet enim magna sit distantia inter intellectum humanum & Deum, cum hic infinitus sit ille finitus; aliqua tamen est proportio, quod uterque immaterialis est & Spiritus. Sed Deus est invisibilis cognitione quidditativâ; quod nulla creatura ita perfectè creatorem sive essentiam divinam ut in se est, concipere potest; & comprehensivâ; cum hæc quidditativam includat, & præterea addat, ut omnia, quæ sunt in cognoscibilitate objecti, clarè cognoscantur.

XXXVIII. Et quoniam Deus non est corpus §. 34. neque pati poterit. Hoc enim corporis adjunctum esse videtur. Quod autem pati non potest, in eo nulla est potentia passiva, & in quo nulla est potentia passiva, illud est actus purissimè purissimus. Denotamus autem hic per actum non activantem s. respectivè, sed absolutè ita dictum, qui in se est actuale quid & non potentiale *Suar. Diss. XIII. sect. 4. n. 7.* qua ratione etiam purus dicitur, quod excludat poten-

tiam cum objectivam, tum passivam. Quoad potentiam
objectivam forte cuiquam non videatur demonstratus a-
ctus purus, fieri tamen facile potest. Si enim in Deum ca-
deret potentia objectiva Scoti, (sic enim appellant) seque-
retur Deum aliquando non fuisse, si hoc, nec posset esse æ-
ternus contra §. 23. nec primus contra §. 19. Sed hæc absur-
da: Ergo multo magis id, è quo tale quid sequitur. Per a-
ctum tamen purum non excludo potentiam activam, quam
de Deo infra demonstrabo. Rectè enim inquit *Suar. Disp.*
xxx. sect. III. n. 2. *Non excluditur autem per illam vocem*
(actus purus) potentia activa; nam potius unumquodque a-
get, in quantum est in actu; unde ipsa vis agendi actualitas
quedam est, quæ potius virtutis vel facultatis nomen mere-
tur, quam potentia. Quia tamen non semper actu agit, ideo
potentia etiam proprie appellatur. Sed de his hoc in loco
fatis.

XXXIX. Porro quoniam Deus non est compositus
ex subjecto & accidente, neque ullum accidens (prædica-
mentale) in Deum cadere potest. Licet enim sapientia, ju-
stitia &c. de Deo dicantur; dicuntur tamen tantum de illo
in signo, ut loquuntur, rationis, quod nos aliter concipere
ea nequeamus. In Deo enim unum & idem sunt justitia
Dei, sapientia Dei & ipse Deus. Cum igitur in Deo nullum
sit accidens, neque erit mutabilis, sed immutabilis. Mu-
tatio enim proprie fit secundum accidentia.

XL. Alterum compositionis genus est ex partibus
integrantibus. Verum hæc compositio non nisi rebus cor-
poreis competit. Quod autem non est corpus, illud nec ha-
bet partes corporis: Atqui Deus non est corpus. Ergo nec
partes corporis habet. Tertium compositionis genus est ex
gradibus secundum intensionem. Verum cum hæc com-
positio non nisi qualium sit; quæ enim qualia sunt, è gradi-
bus

bus secundum intensionem componi dicuntur ; & verò Deus non sit qualis, cum in illo nullum sit accidens §. 39. neque hæc compositio ipsi convenire potest. Quartum compositionis realis genus statuitur ex essentia & subsistentia. Verum & hoc in Deum non cadere haut obscurum est, cum aliqui etiam in angelis eam non admittant, sed tantum in substantiis corporeis ponant. Quinimo ne quidem ex essentia & existentia Deum compositum esse dici potest. Compositio enim omnis oriri videtur ex extremis realiter vel ratione saltem distinctis ; sed essentia & existentia in Deo neque realiter neque ratione sunt distincta. *In Deo quippe essentia ab existentia ne quidem ratione differt, quod à seipso & secundum essentiam existat Deus, nec possit non existere,* inquit *Plur. Rever. Dn. D. Petrus Musæus Instit. Metaph. c. 2. §. 16.* Neque tantum in conceptu objectivo divinitatis importatur existentia, verum etiam in formali. Qui enim concipit essentiam divinam, non potest eam aliter concipere, nisi ut perfectissimam concipiat. Verum ille non concipit essentiam ut perfectissimam, qui eam sine existentia concipit; sed potius qui eam concipit, ut Ens maxime actuale adeoque ut existens.

XLI. Ex illo autem, quod Deus nullo modo est compositus, sequitur illum esse **Incorruptibilem**. Si enim non est compositum, nec in plura resolvi potest, quod autem in plura resolvi non potest, illud simpliciter incorruptibile: Dico *simpliciter*; Corpora enim incorruptibilia & Spiritus creati, licet non habeant intrinsecam potentiam ad non esse, sed quantum est ex se perpetuo durent, à Deo tamen, uti sunt condita, ita etiam destrui possunt; Deus autem ita dicitur Incorruptibilis, quod à nullo sive interno sive externo principio & nulla prorsus ratione corrumpi possit.

XLII.

XLII. Pari ratione cum Deus non sit ex materia & forma compositus, neque forma à materia seungi poterit, ut habet axioma applicatum, & propterea Deus est Immortalis. Tum enim aliquod vivens mori dicitur, quando forma à materia seungitur.

XLIII. Quod si vero Deus est unus & independens, quemadmodum §. 11. & 20. dictum, unum erit independens & reliqua omnia dependentia. Dependens autem aliquod dicitur, quod ab alio dependet. Si igitur reliqua omnia sunt dependentia, ab aliquo dependebunt, & tandem à primo, quò progressus in infinitum vitetur: Sed hoc primum est Deus §. 19. Unde patet Deum, qui est unus, primus & independens, rerum omnium dependentium causam esse.

XLIV. Intelligitur autem hoc in loco per causam non materialis: materia enim Deus caret; nec formalis; etiamsi enim Deus rebus omnibus esse dat, id tamen non fit per unionem sui cum materia (absurdum enim hoc fuerit) sed per efficientiam aliquam. Neque etiam hic intelligitur causa finalis. Est quidem Deus & esse debet causa finalis omnium rerum. Est enim Protagoræ dogma satis celebre, hominem principem locari loco, & reliqua omnia propter hunc facta esse. Homo vero ut aliorum quidem mensura est, ita Deum ipse respicit & ab eo mensuratur. Licet igitur hæc omnia ita se habeant & Philosophorum suffragio confirmata sint, hoc tamen in loco intelligimus causam efficientem, à qua scilicet uti rerum esse dependet ita quoque productum sit.

XLV. Quod si autem res omnes dependentes productæ sunt, productæ erunt aut ex essentia Dei, aut ex alio quodam aut ex nihilo. Non enim quicquam præterea datur. Non autem sunt productæ ex infinita Dei essentia, essent enim

nim

nim aliàs res omnes ejusdem cum Deo essentiæ, adeoque infinitæ. Sed plura infinita uno non dantur §. 29. Neque etiam res sunt productæ ex alio quodam. Deus enim est primus §. 19. Quod autem primum est, illud fait sine ullo alio, adeoque non aliud quicquam fuit, è quo res producerentur. Patet igitur ex nihilo res productas esse, adeoque per creationem, quandoquidem creatio est productio rei ex nihilo.

XLVI. Ubi primò subit mirari, apud Philosophum nostrum *virum singulari ingenio & pene divino*, uti eum vocat *Cic. lib. 1. de Divinat. cap. xxv.* hujus rei vel nulla vel admodum obscura vestigia extare. Quamvis enim non desint, qui ab eo agnitam esse mundi creationem docent, idque etiam idonee sese probare posse putant, notum tamen est, quam difficulter negotium illud procedat, & quod longè plures sint, qui contrarium non contemnendis argumentis propugnant. Quam tamen litem nostram nunc facere nolumus.

XLVII. Neque illud multis disceptare animus est, an vera sit sententia eorum, qui, licet in tempore mundum creatum esse dicant, nullam tamen contradictionem involvere existimant, si mundus ab æterno statuatur creatus. Unicum vero dubium contra eam proponimus: Concedunt nimirum mundum conditum esse ex nihilo, & vi superioris demonstrationis concedere coguntur. Si ergo est ex nihilo conditus, quomodo potest esse ab æterno? Nihil enim aut erit prius ipso mundo, aut simul cum ipso mundo, aut posterius mundo. Non posterius mundo: absurdum enim fuerit, mundum cum existeret, non esse. Non simul cum ipso mundo: assereretur enim aliàs terminos contradictorios, sive esse mundi & non esse mundi, simul esse posse, quandoquidem nihil & aliquid contradictoriè sibi oppo-

D

nun

nuntur. Si autem nihil sive non-esse mundi prius fuit, quam esse mundi, videtur profecto mundus non aliter quam cum novitate efficiendi produci potuisse.

XLIX. Caterum cū perfectiones quæ sunt in effectu, suo modo etiã sint in causa efficiente, & vero Deus sit omniũ rerũ causa & creator §. 43. & 45. patet etiã perfectiones creaturarum in Deo fore. Sed quoniam Deus est infinitus & simplicissimus §. 22. & 30. & hæ perfectiones cum essentia divina eadem, patet illas perfectiones in Deo infinitas, Deumque perfectissimum fore.

L. Unde Deus non tantum per suam substantiam actualissimè vivet, sed etiam ζῶν ἀίδιον erit. Neque enim existimandum est Deum ita vivere, ut interdum dormiat, siquidem ὅτι τὸ πνεῦμα τῶν ἀσθητηρίων καὶ ἀληψίς ἐστὶν πρὸς τὸ μὴ δύνασθαι ἐνεργεῖν, uti habet *Arist. lib. de somn. & vigil. cap. III.* Cum vero Deus non sit corporeus §. 34. neque corporeos sensus habebit, adeoque nulla potest ibi fieri sensorii ligatio, cum Non-Entis, ut vulgare habet, nulla sint accidentia. Quod si verò nulla potest fieri in Deo sensus corporei ligatio, patet etiam Deum ἔχειν καὶ ἴδεν teste Philosopho *lib. II. M. M. cap. xv.* Videtur *Arist. lib. XII. Met. cap. VII.* exinde demonstrasse Deum vivere, quod intelligit. Nulla enim potest fieri operatio intellectus in non-vivente. Sed hæc demonstratio id præsupponit, quod nondum demonstravi. Unde merito eam prætereo.

L. Et quoniam magna est perfectio cūm hominum, tum angelorum, intelligere & scientem esse, Deus quoque sapiens, sciens & intelligens erit. Summa sanè Dei sapientia & intelligentia ex fabrica huius mundi & omnium rerum ordine satis superque apparet. *Ordo enim & dispositio omnis prius est in intellectu, sive in intelligentia, quàm in re ipsa, quia omnis ordo & ratio totius & ratione parti-*

um ob finem est, finis autem præcognosci debet: primus enim
est in intellectu, postremus in opere, ut ex *Metaphysicis* liquet;
verba sunt Viri incomparabilis Cornel. Martin. *compend.*
Theol. p. 65. Cum vero sciens dicatur dupliciter secundum
Philosophum *l. v. Met. c. VII.* καὶ τὸ δυναμικὸν καὶ τὸ ἐν ἔργῳ τῆ
θεωρίας καὶ τὸ χρώμενον, certissimum est Deum ita scire atque
intelligere, ut sit actu sciens & intelligens. Habitualis enim
illa scientia nondum est perfectissima, cum per actum suum
perfici adhuc possit, adeoque includat mutationem quan-
dam, per quam sciens potentiâ etiam actu sciens reddatur:
intelligere enim est actus Deo intrinsecus, qui si à Deo ab-
esset vel abesse poneretur, primum acquirendus esset, quod
tamen à Deo maximè alienum est. Aliter autem se res ha-
bet, si de actu transeunte & extrinsecus Deum denominan-
te sit sermo. Ita enim Deus potest esse Creator potentiâ nec
ullam hoc in Deo imperfectionem arguit, uti malè statuit
Fonseca. Vid. B. Sthal. Reg. phil. part. 1. Disp. II. Reg. IV. n.
6. & seqq.

LI. Et quoniam illa scientia in Deo est etiam perfe-
ctissima, immutabilis, evidens, summe infallibilis, inten-
sivè & extensivè infinita erit. Licet autem veritas rerum in
se non sit æqualis, eò quod quædam immediata sit, quædam
mediata, quædam necessaria, quædam contingens, illud
tamen nō obstat, quo minus illarum cognitio à parte Dei sit
infallibilis, certa & evidens. Tota enim hæc varietas uni-
formiter sub divinam scientiam cadit. Neque tamen, quan-
do Deus intelligit, species intelligibiles objectum intelli-
gibile exprimentes recipit. Nulla siquidem in Deo est poten-
tia passiva. Et si per species aliquid cognosceret, illæ spe-
cies aut essent distinctæ ab essentia divina aut non: illud pro-
pter simplicitatem Dei fieri nequit; hoc autem si poneretur,
illæ species non essent species, quia per essentiam Deus co-
gnosceret.

LII. Cognoscit autem Deus primò se ipsum (circa essentiam divinam enim, ut objectum. intelligibile & nobilissimum, scientiam Dei, utpote quæ est nobilissima, maximè versari oportet) tanquam objectum primarium, intellige naturâ & dignitate: naturâ, quia omnium objectorum causa: dignitate, quia est omnium perfectissimum. Cognoscit autem Deus se ipsum per essentiam suam. Cognovit enim se ab æterno, sed ab æterno nihil aliud fuit, per quod se cognoscere potuisset.

LIII. 2. Cognoscit Deus perfectissimè omnia dependentia. Ubi notandum nonnullos minus rectè affirmare, Deum se solum formaliter & in essentia sua, reliqua autem tantùm ut in sua essentia contenta & repræsentata, sive ut loquitur *Suarez. in seipso tanquam in causa cognoscere. Principiata enim, inquit Thomas, continentur in virtute principij. Cum igitur à primo principio, quod est Deus, dependeat cælum & tota natura, patet quod Deus cognoscendo se ipsum omnia cognoscat.* Verum contra; Si Deus hoc modo tantùm res omnes cognoscit, Deus non cognoscat res ipsas sed suam essentiam, quia creatura, prout sunt in Deo, non sunt creatura, sed ipsa creatrix essentia uti rectè inquit *Suar. Diss. Met. xxx. sect. xv. n. 23.* Unde adhuc quaritur; An Deus cognoscat res omnes formaliter & prout in se sunt? Respondeo Deum certo & infallibiliter intelligere omnia possibile, præterita, existentia & futura, sive illa sint necessario sive contingenter aut liberè futura, & quidem hæc intelligere formaliter, immediatè & prout in se sunt. Infinite enim est perfectus Dei intellectus §. 51. & res in propria forma cognoscibiles, unde non apparet, quid causæ sit, cur illam scientiam Deo denegemus. Habet autem Deus omnium sive existentium sive futurorum scientiam ex æternitate sua. Necessè enim est, ut totam illam simul
habeat

habeat sine successione, cum scientia ipsius sit infinita & immutabilis, quæque adeo in se variationem admittere nequit. Unde patet illam præteritorum & futurorum notitiam tantum respectu nostri dici præscientiam & reminiscenciam Dei, cum respectu Dei sit simplex scientia.

LIV. Neque tamen futurorum contingentium præscientia illorum contingentiam tollit. *Quid enim postulas ut necessaria fiant, quæ divino lumine lustrentur, cum ne homines quidem necessaria fiant esse, quæ videant? Num enim quæ præsentia cernis aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus? Minime.* inquit Boëth. l. 5. de Consol. phil. prof. ult. Et enim non dicitur aliquid futurum, quia Deus illud præscivit, sed ideo Deus præscivit, quia futurum erat. Hæc scilicet causalis bona est. *Res enim futura aliquo modo possunt dici præscientiæ divinæ causa, scilicet materialis eò, quod materiam scientiæ divinæ præbent. Sicut enim, si nihil esset futurum, eorum nulla esset Dei præscientia, ita nihil prohibet, quo minus id, quod futurum est, hoc pacto causa dicatur præscientiæ divinæ,* bene ait Pl. Rev. Dn. D. Cellarius *Disp. de divinæ rer. scient. &c. §. 26. Vid. etiam Mendoz. Disp. 9. de anima sect. 6. subsect. 2. n. 50.* Possent hic nonnulla addi de futuris præcipuè conditionatis, sed ea Theologis malo relinquere.

LV. Cognoscit autem Deus res omnes non tantum in universali, sed etiam distinctè & in singulari, ita tamen, ut illa scientia non sit formaliter discursiva. Discurrere enim & ratiocinari est ex noto ignotum deducere: Deo autem nihil ignotum est aut esse potest, cum infinita eius sit scientia, quæ simul ad omne cognoscibile se extendit & uno intuitu omnia cognoscit. Quoniam autem uno intuitu antecedentis connexionem cum consequente & quid ex quo sequatur, cognoscit, eius cognitio potest dici virtualiter discursiva. Neque etiam est compositio & divisio in scientia Dei.

Dei. Essent enim aliàs plures conceptus inadæquati, quod ipsum tamen pugnat cum perfectissima Dei scientia. In Deo igitur nulla est compositio, divisio aut discursus, sed simplex intuitus, quo simpliciter videntur, quæ composita sunt & invariabiliter, quæ variabilia sunt, & simul, quæ successiva sunt, uti loquitur *Suar. Disp. xxx. sect. xv. n. 34.*

LVI. Per accidens Deus cognoscit etiam negationes privationes & Entia rationis, ita tamen hæc cognoscit, prout scilicet secundum se sunt cognoscibilia citra ullum à parte intellectus cognoscentis imperfectionem. Cognoscit enim Deus privationes, quia cognoscit eorum opposita, quæ sunt vera & realia Entia. Non tamen illas ita concipit prout nos solemus, qui privationes subjectis inharere dicimus propter habituum absentiam: Deus autem illas non positivè sed negativè concipit, scilicet privationes non esse habitus & sic de cæteris. Ens rationis quod attinet, cognoscit illud quidem Deus, sed non ut dependens à suo, verum ut dependens ab alterius intellectu. Cognoscit enim Deus actus intellectus nostri fabricantis Entia rationis: Ergo etiam cognoscit objecta istorum actuum, cum aliàs actus illi non plenè cognoscantur.

LVII. Sequitur etiam ex §. 48. esse in Deo voluntatem, per modum non quidem potentiaæ sed actus ultimi & puri. Voluntas enim in creatis habet rationem potentiaæ, in quantum actum elicit & recipit. Sed in Deo non est potentia efficiens & recipiens actum, quia voluntas non est potentia productiva actuum essentialium, quale est Velle, nec receptiva, Deus enim purus actus est §. 38. Quamvis autem Deus omnis potentiaæ passiva expers sit §. 38. possunt tamen ratione objecti distincti duo actus voluntatis divinae constitui Velle scilicet & Nolle. Cum vero illius objectum tantum sit bonum, idque in creaturis vel verum vel appa-

apparens, Deus vult bonum, non quidem apparens; hoc enim esset imperfectio & præterea Deo nihil bonum videri potest, nisi quod revera tale est §. 51. sed verum. Atque ita quoniam Deus seipsum perfectissimum bonum esse cognoscit §. 48 & 52. hinc seipsum tanquam objectum voluntatis primarium cum naturæ, quia est causa volitorum §. 43. tum dignitatis, quia eminentissime omnes perfectiones continet §. 48. necessario propter semetipsum seipsum negativè vult. Cum enim semper id, cuius gratia quisquam aliquid vult, rationem majoris bonitatis habeat, Deo autem majus bonum nullum sit §. 48. patet Deum non propter aliud, sed negativè propter se ipsum velle seipsum. Necessariò autem se vult, cum quia actus voluntatis divinæ est ens simpliciter necessarium, tum etiam quia in cessatione tali nullaratio boni inveniri potest. Neque vero talis necessitas imperfectiorem, sed summam potius perfectionem arguit, quia *non est necessitas violenta aut irrationalis seu inanimata (ut sic dicam,) sed intrinseca, vitalis & summe voluntaria cum perfectissima ratione ut loquitur Suar. Diss. xxx. sect. xvi. n. 17.*

LII. X. Objectum secundarium divinæ voluntatis sunt res omnes, quas itidem vult propter se ipsum, non tamen tanquam finem sui, sed potius tanquam finem ipsarum. Cum enim Deus sit finis ultimus creaturæ, non potest non omnes creaturas velle propter semetipsum ut finem. Vult enim illas quæ sunt ipsius effectus, non necessariò sed liberè, tam quoad exercitium, quia potest velle & non velle; quam quoad specificationem, quia potest velle hoc aut oppositum ejus. Est enim libertas illa in Deo, quia est perfectio creaturæ §. 48. Neque tamen opus habet ut ab intellectus judicio vel objecto efficaciter

acaciter determinetur. Licet enim Intellectus proponat ob-
jecta creata & sufficientes rationes convenientiæ & bonita-
tis, atque ita sufficienter determinet voluntatem alliciendo
eam ad id, ut seipsa determinet; dici tamen non potest, quod
propriè & efficaciter illam ad objecta creata determinet.
Obstaret enim hoc ipsum, quicquid etiam Capreolus, Du-
randus aliique sentiant, libertati voluntatis, quæ tamen
cum sit perfectio in creatis, in creatore sit oportet §. 48. cum
multa item argumenta evincant, Deum ad extra non agere
necessario. Neque vero libertati officiet, quod non possit
non velle bonum, cum neque creatæ libertati officiat ali-
quid appetere tantum sub ratione boni. Non item obstat
immutabilitas. Actus enim liber à parte Dei est idem actus
necessarius qui Velle dicitur: in tantum verò dicitur liber,
in quantum ad creaturas terminatur. Quæ tendentia vel
terminatio ad objecta addit tantum actui divino relatio-
nem rationis, *non quia Deus constituatur actu volens talia
objecta per relationem rationis, sed quia in Deo nullam addit
habitudinem realem sed eminentiori modo illa attingit, quem
modum nos explicare non possumus, nisi per relationem ratio-
nis*, ut iterum loquitur *Suar. Disp. xxx. sect. ix. n. 39.*

LIX. Sed quoniam velle est appetere & appetitus a-
lius elicitus, alius naturalis, disputant Scholastici uter Deo
opt. max. sit tribuendus? Naturalem autem hic sumimus
non pro necessario, sed pro innato, qui *nihil aliud est, quam
naturalis inclinatio vel determinatio uniuscuiusque rei ad
propriam perfectionem vel actionem* *Suar. Disp. xxx. sect.
xvi. n. 4.* Est autem ille appetitus duplex, Desiderii & Com-
placentiæ, quem (complacentiæ appetitum) Latini, ut in-
quit *Scal. exerc. 317. sect. 2. acquiescentiam* vocare potuis-
sent; qui scilicet appetitus per modum amoris & quietis in
perfectione habita est. Neque semper necesse est, ut appe-
titus

titus talis in rem ab appetente distinctam tendat : potest enim appetitus esse quasi reflexus eiusdem rei ad se ipsam ut *loc. cit.* fere loquitur *Suar.* Distinctè igitur respondeo, appetitum innatum formaliter (nam de eo, an virtualiter & eminenter sit in Deo, nulla est quaestio, cum appetitus innatus etiam sit in nonnullis creaturis) in Deo esse etiam ad intrinseca bona, quæ in seipso possidet, quamvis illa bona, quæ necessario habet, ab ipso non distinguantur. Nam si talis etiam in aliis rebus, quæ naturaliter se appetunt, reperitur, quid causæ est cur eum Deo denegemus? cum perfectionem sine imperfectione dicat. Quod attinet res externas, potest dici etiam respectu harum Deo appetitum innatum tribuendum, imò non saltem complacentiæ, sed ratione modi nostri concipiendi etiam desiderii. Propensio enim boni ad se communicandum est naturalis & necessaria, quamvis executio libera sit. Omnis enim potentia activa naturaliter inclinatur ad actionem suam; sed in Deo est potentia activa perfectissima, ut paulo post demonstrabo : Ergo.

LX. Est etiam Deus bonus tum entitativè, quia omne Ens est bonum, tum moraliter. Est autem Deus bonus, imò optimus & maximè beatus δι' ἃ θέν τῶν ἐξω περιούτων ἀγαθῶν, ἀλλὰ δι' αὐτῶν αὐτῶς καὶ τῶ πῶτος τις εἶναι τῶ φύσιν inquit *Arist. l. 7. Pol. c. 1.* Neque etiam virtus, quæ in Deo est, habitum aut qualitatem significat, neque ille per virtutem acquirit bonum, cum in Deum nullum accidens cadat, sit item omni virtute melior & infinitè bonus. Atque huc pertinet Alexandri illud, quo docet virtutem homine meliorem esse, quia homo virtute fit probior; & eadem ratione virtutes Deo denegat, ne eum virtute inferiorem faciat. Non igitur est Dei virtus ulla (ea scilicet quæ in homine reperitur) ὁ γὰρ θεὸς βελτίων τῆς ἀρετῆς, καὶ ἔ' κατ' ἄρετῆς ἴσιν ἀπὸ δαιμόνων ait *Arist. 2. M. M. c. 5.* Vid. et. *l. 10. Eth. Nic. c. 8. n. 23. & seqq.* Cum vero nulla sit perfectio in creaturis, quæ non

E

fit

fit in Deo, virtus etiam omnis, utpote quæ est perfectio, *Arist. l. 2. Eth. Nic. c. 6.* in Deo erit. Et quidem virtutes, quæ circa actionem versantur, sive, quæ sunt ad alterum, formaliter ac propriè in Deo reperiuntur, nisi in suo conceptu formali actiones earum respectum inferioris ad superiorem, aut unius ad alterum ut æqualem includant; tunc enim, quoniam Deo nemo superior, nemo etiam æqualis, non formaliter sed eminenter Deo inerunt. Virtutes autem quæ ad se sunt, vel circa passiones versantur, ut fortitudo &c. non nisi impropriè & metaphoricè Deo tribuuntur.

LXI. Consideravi intellectum & voluntatem divinam. Sed quoniam scientia & voluntas divina tum demum causæ rerum sunt, si ad potentiam, à qua ratione distinguuntur, illa accedat ut dirigens, hæc ut applicans, *Suar. Disp. Met. 30. sect. 17. n. 48.* etiam de potentia non nihil agendum. Intellego autem per potentiam non passivam, nec objectivam, hæc enim §. 38. à Deo alienas esse dixi; sed activam eamque non omnem, sed illam solum, quæ est ad extra. Nam ea qua Deus ad intra operatur, ut potentia generandi & spirandi, naturali lumine non cognoscitur. *Per rationem siquidem naturalem ea tantum cognoscimus de Deo, quæ pertinent ad unitatem essentia, non autem ea, quæ pertinent ad distinctionem personarum,* inquit *D. Thom.* & addit rationem, quod omne, quod de Deo cognoscimus, ex creaturis cognoscamus: unde illud tantum naturaliter de Deo cognoscitur, secundum quod Deus est omnium dependentium causa & creator.

LXII. Potentia autem in Deo formaliter non est 1. ipse primus & quidditativus Dei conceptus. Hic enim semper dicitur aliquod absolutum à parte Dei, sed potentia semper respicit aliud ut objectum, aut certe ut terminum. Nec 2. Intellectus: per hunc enim tantum simpliciter aliquid cognoscitur

scitur: cognitio autem ut cognitio non est proximum principium effectivum. Quod si enim potentia præcisè esset intellectus, objectum quoq; divinæ potentia Deus esset, quod absurdum, uti mox demonstrabo. Nec 3. Voluntas: hæc enim qua talis non habet rationem principii effectivi, licet Scotus & Cajetanus id affirmare videantur, sed est *virtus vel principium efficiendi ea, quæ fieri possunt.*

LXIII. Esse autem in Deo potentiam activam, liquido è §. 48. patet, simulq; illam unicam, simplicissimam, perfectissimam & infinitam fore. Unica est & simplicissima in se, sed in ordine ad varias actiones potest à nobis per inadæquatos conceptus in plures secundum rationem distingui. Perfectissima est & infinita cum intensivè, tum extensivè, sive est omnipotentia. Quòd enim differentiam Scholastici inter potentiam infinitam & omnipotentiam assignant, non placeat, nisi forte per omnipotentiam illam, intelligas tantum, quæ extensivè infinita est. Consideratur enim omnipotentia non tam respectu potentia, quam objectorum.

LXIV. Objectum omnipotentia est omne possibile. Ut autem expediam, in quo sit ratio possibilitatis, sive per quod aliquid dicatur esse possibile, distinguo possibilitatem cum *Fr. de Ovied. Contr. Met. 2. punct. 1. §. 2. n. 11.* in extrinsecam & intrinsecam. Extrinseca est denominatio quædam desumpta ex virtute intrinseca causæ: Intrinseca est à parte rerum possibilem & nihil aliud est, quam non-repugnantia rationum vel formalitatum in aliquo. Desumitur autem extrinseca possibilitas vel à fundamento remoto vel à proximo. Hoc est ipsa potentia divina: Quod enim Deo est possibile, illud ideo ei possibile est, quia ejus potentiam habet. Si vero quæras fundamentum remotum, cur Deus facere possit hominem & non hircocervum: Resp. illud esse ab intellectu divino, quatenus cognoscit objecta ideis, quas in operando in-

tuetur, esse conformia, Unde potius dicendū videtur: Res est
possibilis, quia divina potentia sufficiens est eam producere,
& ideo sufficiens est eam producere, quia cognoscit eam i-
dex conformem esse; quam, ideo divina potentia rem pro-
ducere potest, quia in se est possibilis. Quando enim ita lo-
quimur & rem aliquā ab intrinseca possibilitate possibilem
denominamus, sit illud tantū à posteriori. Quoniam vero
illud dicitur possibile, quod fieri potest; nihil autem fieri po-
test, quod non potest produci ab aliqua causa; nihil quoque
potest produci ab aliqua causa, nisi quod fieri potest: sequi-
tur nihil à parte causæ posse esse possibile, quod non etiam
tale sit à parte subjecti & vice versa. Aliter statuit *Oviedo loc.*
cit. quando ait; *Possibilitas extrinseca aliquando convenire*
potest etiam effectibus ipsis intrinsecè repugnantibus. Verum
contra; Si objectum intrinsecè repugnat, id nunquam fieri
potest: & si hoc, neq; à quadam potentia produci potest, ad-
eoque frustra ei potentiam assignabis. Quod enim planè im-
possibile, ejus nulla est potentia. Quod si autem possibilitas
extrinseca aliquando cōvenire posset intrinsecè repugnan-
tibus effectibus, sequeretur eos produci posse; adeoque impos-
sibile sub potentiam cadere, quod absurdum est.

LXV. Possibile igitur hoc loco illud est, quod non re-
pugnat per potentiam activam produci. Cum autē multa
sint non - possibilia, nil mirum, si illa Deus facere non po-
test, vel, ut Thomas convenientius dici existimat, si illa fi-
eri non possunt.

— — *Non etenim irritum*
Quodcunque retro est, efficiet: neque
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.

uti eleganter canit *Horat. l. 3. od. 29.* Probat idē ex *Agathone*
prolatum ab *Arist. l. 6. Eth. Nic. c. 2.* Ita Deus non potest facere
Deum

Deum, nec ut bis decem viginti non sint, nec mentiri potest nec mori. Multa tamen nobis videntur impossibilia, quæ revera talia non sunt. Unde nil temere de Deo negandum. Multa hic possent objici descendendo ad inferiora quæ Deus facere potest, sed brevitati studens ea omitto.

LXVI. Res omnes per creationem coepisse § 45. demonstravi. Quoniam autem uti se res habet in esse & in fieri, ita etiam in conservari se habet, perspicuum est res creatas omnes à Deo in conservari dependere, cū in esse & fieri ab eo dependeant. Conservatio enim nihil aliud est quam essendi continuatio, quatenus tamen illa continuatio actionem Dei notat. Hoc enim nisi subtiliter intelligas, etiam ipsa rei duratio est essendi continuatio, quæ tamen à conservatione, utpote quæ est actio Dei transiens, est distincta. Dependere autem creaturas in conservari à Deo è *Suar. Diss. Met. 21. sect. 1. n. 14.* & *Franc. de Oviedo Contr. Phys. 10. punct. 1. §. 1. n. 1.* ita declaro & ostendo; Res omnes permanentes pendere à Deo potest dupliciter intelligi, permissivè & positivè s. per actualem influxum. Illo modo res creatas à Deo pendere patet: Res enim omnes à Deo sunt creatæ § 45. & ab illo, prout infinita potentiâ pollet, in nihilum redigi & destrui possunt § 63. Unde ad rerum permanentiam requiritur, ut permissivè à Deo conserventur. Deinde etiam necesse est ut conserventur positivè. Neque enim alias destrui possent contra § 63. Si enim deberet res aliqua destrui à Deo, aut illud fieret per actionem positivam aut per actionis privationem; Non per positivam. Omnis enim positiva actio ad terminum positivum & nunquam ad non-esse; destructio autem rei ad non-esse ejus terminatur. Ergo per actionis privationem. Si hoc, necesse est ut statuas illam à Deo hætenus conservatam fuisse. Omnis enim actionis positivæ privatio supponit positivam actionem præcessisse; (Alias enim non posset dici ejus privatio, & corruptio præsupponit non corruptionem adeoq; conservationem.) Si igitur res per actionis positivæ remotionem de-

struitur, sequitur illam per actionem positivam in suo esse fuisse conservatam. Atque hoc modo videtur quadantenus conservatio posse demonstrari.

LXVII. Neq; tantum Deus conservat omnes creaturas, sed etiam immediatè ad omnes illarum actiones concurrat, & quidem naturalibus agentibus ad modum naturæ, id est, sicut illa ad unum sunt determinata, ita etiam Deus ad unum illud concursum suum præbet non ad alterum; agentibus autem liberis non ad unum certum, sed ad plura concursum præbet, prout se agens liberum ad hoc vel illud determinat. Malè autem talem concursum Durandus negavit. Existimavit enim effectus causarum secundarum eatenus tantum à Deo dependere, quatenus ipse causas illas produxit & conservat & virtutem agendi ipsis concessit. Sed Deum non tantum mediatè verū etiam immediatè concurrere ad effectus omnes causarum secundarum, quod *vide difficulter posse ratione probari* rectè asserit Arriaga, ita ad absurdum deducendo conor ostendere. Si Deus non concurrat ad operationem creaturæ immediatè, eam nec immediatè operatione privare potest. Privaturus enim creaturam operatione vel positiva id faceret actione, vel negativa. Non positivâ, terminus enim negativus actione positiva non producit: non negativâ, hanc enim positiva antecedere debet, cum omnis privatio positivum supponat. Aut igitur Deus planè non potest creaturam operatione privare, aut illud fiet actione negativa, quæ positivam adeoque concursum supponit, cum nihil aliud sit concursus, quam actio Dei ad extra, secundum quam cum causis secundis omnes effectus earum producit. Consistit enim concursus non tam in impertitione principii alicujus aut virtutis novæ, per quam creatura agat, quam in actione Dei extrinseca, quæ una & eadem est cum actione causæ secundæ.

LXVIII. Atque ita etiam dabitur aliqua Providentia Dei. Hæc enim uti conservatio creationem, ita ipsam conservationem

nem supponit. Non autem distinguo hic gubernationem à providentia. Est enim gubernatio providentia in actu gubernandi constituta. Esse autem *illud in orbe Deum, quod in navi gubernator, in curru auriga, in choro praeceptor, in urbe lex, in exercitu Imperator* (verba sunt Auctoris libri de Mundo) facillimè patet è pulcherrimo naturæ ordine, quo omnia ad certum finem contèdunt. Hæccine casu ita ferri an vero potius illorum directionem summo & sapientissimo Numini ascribemus? In apibus prudentiam cum in ædibus exstruendis tum in administranda, ut ita loquar, rep. sua miramur: laudamus item hominem prudentia suâ rep. ad finem dirigentem: & tamen Deo opt. max. providentiam & gubernationem mundi denegabimus, cum tamen sit & *omniscius & omnipotens, ita ut non possit non cognoscere ea quæ aguntur aut agenda sunt, eaq. ipse temperare ac dirigere facillimè possit, ut loquitur eruditiss. Grotius l. 1. de Ver. Rel. Christ. p. 38.*

LXIX. Afferuerunt idem ethnicorum sapientissimi: (Aristoteles enim dubitasse potius quam providentiam sustulisse videtur.) unum si forte excipias Epicurum & cui ille stultitiam debet, Democritum, quos propterea Deum ipsum negasse pronunciarunt Stoici, uti annotat *Scheff. ad AEL. l. 2. c. 31. var. hist.* Adeo arctè divinam providentiam cum existentia Dei cohærere existimarunt! Duo enim *Theologiae naturalis fulcra sunt I. esse Numen, & 2. id rebus omnibus, maxime autem humanis, providere, inquit Pl. Rev. Dn. D. Petrus Musæus Diss. 1. de Nat. & Constit. Theol. §. 5.* Horum uno negato ipsa tollitur religio naturalis, qua sublata nulla subsistere potest resp. *cum urbs videatur citius sine solo, quam Resp. sine opinione de Diis constitui aut constituta conservari posse, inquit Plutarchus alicubi.* Varias de providentia divina complectitur sententias Epictetus apud Artianum, quando ita ait; *Quod ad Deos attinet, sunt qui negant ullum Numen esse: sunt qui esse docent, sed dignum iniuriam & nulli rei providere: sunt tertij, qui & esse & providere sed non nisi magnis & caelestibus, terrenorum autem nulli. Quarti & caelestibus & terrestribus, sed*

uni-

universis duntaxat, non autem singulis & unicuique, seorsim. At quinti, in qua parte Socrates, asserunt statuuntque quod Te, ô Deus, ne in minimo motu lateam aut fallam.

LXX. Neque vero ex eo, quod malos omnibus bonis affluere, bonos verò malis & infortuniis premi videas, colligere licet, Deum nullam habere providentiam. Cum enim Deus sit omniscius neque actiones nostras ignoret; sit item omnipotens adeoque præmiis pœnisque afficere bonos malosque possit; sit item iustissimus & pro meritis cuique retribuere soleat; & nihilo tamen minus hac in vita interdum mala impunita maneant, *expectandum est aliquod post hanc vitam iudicium, ne aut insignis improbitas sine pœna aut magna virtus sine solatio maneat. Grot. loc. cit.*

LXXI. Quod si autem alia post hanc expectanda vita, uti etiã verisimile sit ex animæ nostræ immortalitate; & vero tanta sit miseria humani generis, ut neque rectè investigare possit, quomodo Deus, qui summe est colendus cum propter bonitatem tàm propter merita, (*honoramus enim virtute præditos & amamus eos qui nobis benefecerunt Arist. l. 1. Rhet. c. 5. inc. 23. & l. 2. Rhet. c. 4. inc. 8.*) coli debeat, neque etiam in virtutis tramite persistere, admodum probabile est dari aliquam Revelationem divinam. Absurdum enim fuerit, Deum pro sua bonitate de illis tantum sollicitum fuisse, quæ aliquot annorum commoditatem secum ferunt, imo corpori tantum prospectum voluisse, ad æternam vero felicitatem nullam viam ostendisse, & animam immortalem, qua Deo assimilamur, prorsus neglexisse. *Cornel. Martin. Compend. Theol. p. 36. & 37.* Quæ vero sit illa revelatio divina forsitan rationis lumine plene ostendi nequit, multis tamen id eleganter admodum persequitur jam laudatus Autor *lib. cit. p. 29. & seqq. it. p. 37.* Nos hic Disputationi colophonem imponimus, Deoque gratias pro omnibus beneficiis, quibus nos afficit, agimus atque habemus immortales.

F I N I S.

Fb 3341


ULB Halle 3
001 846 40X



TA-OC

Fb 3341






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



PHICA

INE
CO.

I,

CE,

LINGIO

MAG. LO-

E OR-

ciet

UBBREN

DITORIO

ULLERI

